

DISSERTATIO  
INAUGURALIS MEDICA  
SISTENS  
**INFLUXUS ATMOSPHERAE**

In

**CORPORA TERRESTRIA**

ANNUENTE INCLYTA FACULTATE MEDICA PRO GRADU  
MEDICINAE DOCTORATUS OBTINEENDO IN ALMA AC CE.  
LEBERRIMA REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE  
PESTHANA.

A B

**EMMANUELLE DUCHON**

HUNGARO BUDENSI EDITA.

In adnexas Theses disputabitur in Palatio Universitatis  
Majori Mensis Augusti die 1832.

---

**PESTHINI,**  
TYPIS LANDERERIANIS DE FÜSKÚT.

— — — — — obschon sie die Hauptquelle des Lebens, und der Gesundheit ist, dennoch bei veränderten Verhältnissen auch eine fruchtbare Erzeugerinn von Krankheit und Tod werden kann.

*Ph. Charl. Hartmann.*

AD MODUM  
REVERENDO DOMINO  
**JOSEPHO DUCHON**

VENERABILIS DIOECESIS CSANADIENSIS

PRESBYTERO

NEC NON OPPIDI BILLED INSTALLATO PARO-  
CHO FRATRI CARISSIMO.

**VIRO ET FRATRI**

PIETATE BENIGNITATE HUMANITATE CLA-  
RO SCIENTIARUM AMATORI FAUTORI  
SUOQUE

**MAECENATI**

PRIMOS STUDII ACCADEMICI FRUCTUS IN PIG-  
NUS GRATI ANIMI FRATERNIQUE  
AMORIS  
SACRATOS ESSE VULT.

AUCTOR.

Frater Carissime!



Præsente tempore eo, quo omnis recti, justique amans litteratus nanciscitur occasionem iis quibus debet obsequia testandi; nec ego officio meo deesse volo. Non possum non palam profiteri amorem TUUM in me, non indefessum TUUM me Scientiis altissimis erudiendi studium, non constantem intrepidumque contra fortunae novercae mihi infausta offerente Animum. Grata adhuc recolens memoria mansveta TUA Consilia, benignasque operas TUAS. Ab incunabulis fere meis (pusillus enim ad limina aedium TUARUM adlatus) sub TUIS delitui alis.



TUQUE per tot annorum series me Paterno-Fra-  
ternali fovisti sinu. Non invenio Verba, qui-  
bus sensa mea in TE CHARUM Fratrem aperi-  
rem, totique testatum sacerem Mundo: persua-  
sus tamen TIBI pro TUA consveta benignitate  
sufficere summum meum neque unquam exsting-  
yendum Amorem.

Suscipe igitur Dilecte FRATER pro TUA  
consveta Humanitate tenues hasce pagellas in  
tesseram grati animi, tenerrimique amoris fra-  
tris TUI et

*Auctoris.*

## §. I.

**C**orporum Terrestrium Vita, a momento existentiae suae pars vitae universi in universum agens, ab eo actionem ut experiatur, necessum est. Mutua taliter actione dum taxat universum existere, nec aliter. Universum provocando vitam particularem, haec existentia sua repartitione universum illudque suffulciendo Totum aspectabile (das Weltall) constituunt. Est igitur pars Toti; Totum parti sua essentia necessarium ad Existentiam. Natura pro- vida de magno, necessarioque influxu Partis inter, et Uni- versum obtinendo continuandoque posuit medium, mira sane ratione minimum superficie totalis cujuspiam corporis corpusculum, cuius aliis omnibus particularibus, et totalibus, ac tandem centro corporum totalium jungens, sicque vim universi (Electricum, Lucem, calorem) totalia inter, ac particulaaria corpora communicans, corpus creationis mi- rum, admirationem Entis rationabilis, ut non incurreret vix crederem. Admirandum illud Medium Atmosphaeram esse in aperto est. Haec superficiem Globi terrauei al- lambedo adtollitur ad 800 circiter millaria in Aetherem, tandem evanescens, hic probabiliter mutata, ut ad nostram Terram indole cuique corpori totali accommodata reliqua corpora totalia, et nostri Globo, centroque omnium cor- porum totalium jungens.

Hoc igitur materiale objectum Dissertationis meae so- lum relate Globi terrauei, ut eum allambit, ambitque, nec non influxus ejus in corpora terrestria distinctius con- sideraturus sum; agendo primum de ejus compositione,

8  
dein de Proprietatibus Essentialibus, et Accidentalibus,  
tandem de Influxu.

## §. II.

Atmosphaera, aër atmosphaericus superficiem Telluris nostrae allambens singulaque corpora circumdans, antiquis Elementum materiam sistit, subtilem, gasformem, fluxilem, excolorem, invisibilem, aqua 800 vicibus levorem, respirabilem, flaminam aletem. Recentioribus Chemicis componibilem, et decomponibilem, instrumentis Eudiometricis (quasi aëris bonitatem determinantibus) pro diversitate auctorum diversis, sic Volta Scheele, Gnyton, Fontana sunt, ea modificantes.

Partes aërem atmosphaericum ingredientes aliae sunt constitutivae, constituentes seu essentiales, accidentales aliae, aliæ denique accessoriae.

Constitutivae (constituentes, essentiales) partes sunt gaz oxygenium et gaz azoum (azotum) ita dynamice unitum; ut oxigenii 0,21, azoi 0,78 partes continerentur\*)

Accidentales \*\*) atmosphaerae partes sunt: gaz (acidum carbonicum, et aqua diversa tamen proportione, gaz acidum carbonicum se habet inter 1 et  $\frac{1}{4}$ ). Aqua aestate majori, minori hyeme continentur in atmosphaera quantitate.

Accessoriae sunt diversi aëres mephitici, venenati, contagium, animalcula, ovula, mineralia, sulfur, ferrum, pulveres, variant haec quod tempus, quantitatem, absentiam, praesentiam.

\*) Differentia obtinens vix unam millesimam unius millesimae partem aequat.

\*\*) Accidentales constanter inveniuntur in atmosphaera, adeoque probabiliter necessariae; si vero necessariae abesse negantur, hinc fors melius ad constitutivas referendae.

### §. III.

Proprietates essentiales aëris atmosphaericæ (physicae) sunt: fluiditas, elasticitas, in compressionem et expansionem nisus, pelluciditas, et gravitas.

Ex prima recensita proprietate essentiali nexus materialis aëris atmosphaericæ, ejusque cum tota corporum singulorum superficie, nec non continua aëris mutatio proveniunt.

Elasticitatem fontes salientes demonstrant, ac compressionem aëris atmosphaericæ, nec non tubus vitreus recurvus in quo aër atmosphaericus ope mercurii premitur, persistente pressione columnæ aërea brevior fit, cessante illa, columnæ aëre a priorem recuperat altitudinem. Experimentum hocce a Boyle et Mariotte institutum. Expansionem illius machina pneumatica et calor comprobant.

Gravitas atmosphaerae est in ratione directa gradus pressionis. Pressio haec in Tellurem et ejus corpora ea vi est, ut stratum Hydrargyri  $28^{\text{c}}$  altum aestimando pollicem cubicum atmosphaerae ad superficiem terræ dimidii fere grani, unde resultatum altitudine media quae est  $28^{\text{c}}$  pressio atmosphaerae se habet, ut pondus  $2216 \frac{1}{2}$ , hinc sustinet organismus humanus mediae altitudinis pressionem aëris atmosphaericæ pondus 33600 libras aequans.\*)

Pelluciditas variat pro ratione densitatis atmosphaerae praeprimis ratione aquæ in aëre contentæ, hinc tractatione de humiditate absolvetur etiam pelluciditas.

### §. IV.

Proprietates accidentales aëris atmosphaericæ sunt Temperatura (calor et lux), Humiditas, et Electricitas.

\* ) Pressio tamen haec magna eliditur per nisum in expansionem, et pressionem fluidorum exteriora versus.

Radius solaris in superficiem terrae incidens explicat calorem atmosphaerae stratatum communicandum, est igitur calor atmosphaerae in vicinia terrae superficie major altioribus stratis; dependet ultiro calor ab incidentia radii solaris, quo enim magis angulo recto accedit, eo major calor explicatur in atmosphaera, tandem a duratione actionis radii solaris: Temperatura igitur atmosphaerae est in ratione aequali cum gradu obliquitatis, durationis et vicinitatis superficie terrae. Altissima igitur temperatura erit in Tropicis, et ad Polos infima. Inter altissimam infimamque Temperaturam in Thermometro Reaum: intercedens spatium 83° est. Variat tamen temperatura pro ratione nonnullorum influxuum, sic pro ratione libellae maris ita, ut supra libellam maris temperatura decrescat, hinc in continentis centralibus Regionibus si eleviores sunt libellae maris frigidorem observamus atmosphaeram. Variat pro ratione inclinationis versus aequatorem aut Polos ob incidentibus radiis solaribus. Tandem pro ratione ventorum, vel regionum physica constitutione, per quae transeundum illis est. Ultimum ipsum solum et consuetudo hominum viventium mutatione efficit temperaturae atmosphaerae.

Lux pari passu cum calore incidens mutationes caloriam ipsa quoque percipit, suisque mutationibus per causas calorem adficientes obnoxia est, hinc, ut jam prius dictum simul nomine Temperaturae pertractari comodissimum est.

Quaecunque siccus aliquem continet aer, atmosphaericus humorem. In tanta eni quantitate aquarum non solum continentem cingentium, verum et in ipso continente dissipatarum evaporatione continua adjuvante hominum industria fieri aliter nequit, quam ut semper aliquem continet atmosphaera humorem. Fit haec aquae evaporatione in temperatura naturali, modo insensili; in calore artificiali tumultuaris, quare aer atmosphaericus aquam evapora-

tam omnem suscipere non valens, para excedens [forma nebulae in aërem ascendens <sup>\*)</sup>] tandem sensibus nostris disparet.

Triplex status humiditatis atmosphaerae concipi potest. Videmus saepe sereno tempore in temperatura media altisque atmosphaerae stratis nubes hinc inde errantes immixti tandem ex integro evanescere. In simili statu Hygrometrum siccum atmosphaerae statum indicans evaporatio aquarum maxima est; haec quantitas aquarum in aëre atmosphaericо contentarum praecipitatur noctu forma rosis, unde calidiores Regiones statu tali per longius fruentes noctes frigidas, et rorem magnum experiuntur. Aér est siccus, transparens, et magnam pressionem in Barometrum ostendit.

Contingente etsi in superioribus atmosphaerae stratis sine mutatione ventorum temperaturae mutatione, cessanteque hac de causa sicca atmosphaerae constitutione, mutatione subitanea inversa conspicitur respectu Barometri, evaporatioque aquarum, manente tamen serenitate coeli, et Transparenzia aëris atmosphaericici.

Mutatione supra dicta nec magna nec repentina facta atmosphaera tanta quantitate humidi onusta, ut illo subi- gendo impar evadat, praecipitatio illius contingit; obser- vamus et in sereno coeli loco, aëre tranquillo, nubes gene- rari, cum continuo incremento uniusque cum alterius con- junctione, donec totum coelum nubibus veletur. Tertia, hac mutatione contingente Barometrum sensibiliter non mutatur; <sup>\*\*)</sup> aér atmosphaericus tamen maxime humidus laevia, nebulosus, et transparentia orbatus conspicitur. Ex his collimari licet aërem eo esse graviorem, quo siccior,

<sup>\*)</sup> Phoenomenon per aquam fervidam comprobatur.

<sup>\*\*) S</sup>aussur testatur aëre ad summum perveniente gradum humiditatis nova additione humoris, aut vaporum suspensione non agere in Hygrometrum.

et laeviorem quo magis humidus fuerit. Omnia tamen haec suis mutationibus pro diversa temperaturae, et stratorum mutatione patent; experimur enim pluviam, imo in altioribus atmosphaerae stratis condensationem illius per frigus in grandinem, et Thermometrum sat altam monstrat temperaturam.

Reliquum est decidere quaestionem, qualiternam atmosphaera humidum teneat, Celeber. Leroi simplicem solutionem asserens. Bertholletius peculiarem inesse proprietatem atmosphaerae, justam quantitatem aquae gaziformis vere dissolvendi, quae facultas est in ratione directa cum motu et augmento temperaturae. Ex ultima hac sententia omnia de humiditate prolata prono fluunt alveo; priori adversatur aequalitas solvendi atmosphaerae sine ratione habita densitatis illius; quod mutari deberet stante priori sententia.

Electric aëris atmosphaeric tension post detectionem per Franklin factam recentius instrumentis electroscopis sereno etiam tempore praesentia ejus innotuit, continetur illa in illis quoque atmosphaerae stratis, ultra quae aeronautis ascendere vix licuit, quin imo et validior comprehensa, ut testimonio Photometeorum et Pyrometeorum abunde demonstratur. Nulli non notum est, maximum aëri sudo, minimum ante tonitrua in vicinia aedium, arborum, aliquorunque conductorum, in vallibus multo debiliorem, quam camporum liberorum, mediocriter montium cacuminum electricitatem in aere contineri.

Oscillationes electricitatis coelo sudo regulari typo <sup>se</sup> excipiunt, quod testimonio Saussurii et Humboldii perhibetur. Ante ortum lucis levissima comparente rore matutino rapide increscit, et aliquot ab ortu solis horis ad maximum, unde recedendo usque occasum, ubi iterum minima est, cadente rore iterum incrementum capit.

## §. V.

Terminatis paucis proprietatibus aëris atmosphaericis, superest effectum illius in naturam globi terraquei universam magis dilucidandi, illud inhi praestare conanti solum imperfecte licebit, quis enim erit, qui inter tot varios multiplicesque aëris atmosphaericis effectus, partim in universam tellurem nostram, partim in certa systemata productionis naturae, partim in singularia corpora, jam salutares, jam nocivos aut systema, aut legem, vel ordinem tenere, omniaque ad amissim e tam vasto effectuum mari fluentia, in succincto hocce ut e consuetudine est opusculo explanare (nisi volumine vasto dissertationem suam ornare volens) poterit? sufficienter praestitisse autuno cujque regno naturae terrestri debitam attentionem relate ad aërem atmosphaericum impertiendo, redundantes ex aëre atmosphaericis effectus universales, in quolibet regno naturae observabiles commemorando.

## §. VI.

Totalium corporum mutua, et in sistema centrale actione ducimur in mutuam actionem corporum particularium totalis cuiuspiam corporis, unde mutua corporum anorganicorum naturae terrestris in se invicem actio, tam chimicorum, quam aliorum naturae scrutatorum observationibus abunde comprobata est. Ast non solum in se invicem, verum et cum atmosphaera commercium ipsis non parvi momenti sovendum est. Licet atmosphaera universum hoc jungens probabiliter pro peculiari terrae nostrae natura, peculiarem quoque modificationem experta, corpus nostrae terrae est, quocum commercium nulli corpori effugere licet. Demonstrant id luculenter non solum chimicorum et naturae et scrutatorum investigationes, verum et profani cujus-

que hominis observationes, quorum ultimorum mos loquendi<sup>\*)</sup> omnes influxus tempori adscribendi non aliunde, quam ab atmosphaera pendent. Non exiguum commercium atmosphaerae inter ac regnum anorganicum quis non videbit, considerando oxydationes, anoxydationes, crystallisationes, praeципitationes, efflorescentias, fatiscentias, deliquescentias, volatilisationes. Quantum nam ab aere atmosphaericо experiuntur aquae soteriae seu aquae minerales nulli non notum est. Magni hi processus per aerein atmosphaericum inducit stupendum certe commercium vigenis innuunt. Quisque enim naturae scrutator quantam mutationem non factam non videt considerando tam mechanicas, quam dynamicas corporum anorganicorum per aerein atmosphaericum factas mutationes, quod mechanicas relationes attinet, videbit e solutionibus per atmosphaeram corpora solida formae certe artificialis uti crystallina est, generari; e contrario e solidis jam pulverulenta jam liquida per atmosphaeram generari corpora. Ulro quales non videbit mutationes quoad vires internas, quis enim est medicorum ignorans effectuum non nullorum corporum anorganicorum per solam atmosphaeram inductorum.

Sed non solum corpora anorganica jam existentia afficiuntur per atmosphaeram, sed et revera generantur, quid enim sentiendum sit de Aerolithis, de Ferro meteoretico (ab aliquibus ex alio corpore totali in nostram terram sat male existimatum delapsis) Lectori benevolo relinquo, eum solum attentum reddendo ad multiplices partes tamen constitutivas accidentales et accessorias in aere atmosphaericо contentas, diversasque proprietates aeris atmosphaericи. Paucis igitur magnum illud commercium inter atmosphaeram regnumque anorganicum globi nostri revera obtinere in aperto est.

<sup>\*)</sup> Die Zeit verzehrt Alles.

### §. VII.

Non minus regno anorganico magno gaudet influxu atmosphaera in regnum vegetabile. Sunt plantae corpora stru-  
ctura multo artificiosiori gaudentia, ab intus incrementum  
cipientia, adeoque assimilantia, ad hoc peculiaribus  
jam organis (textus cellulosus, vasa, succos, lympham ve-  
hentia, vasa aërisfera) instructa. Corpora haec substantias e  
sinu naturae suppeditatas assimilandasque longiori tempore  
retinere nequeunt, hinc prævida natura simplicibus materiis  
assimilandis (aqua, aër) duntaxat compotes fecit, unde me-  
dium, quo materias has sibi seligunt, aër atmosphaericus,  
et terra solum est; hinc vegetabilium vita ab atmosphaera,  
et terra ut plurimum pendet. Imo considerando vegetabilia  
intimius, inveniemus non pauca minus terrain (ut recepta-  
culum aquae spectandam) sibi poscere ad vitam sustinendam  
tutumque nutrimentum medio atmosphaerae sibi adferri, ut  
sunt vegetabilia in calvis saxis, rupibusque (potius in fisi-  
suris, rimisque eorum) crescentia, terram aut minima quan-  
titate, aut nullam habentia, addendo Zonam Torridam, in  
qua per totam saepe plantae vitam nulla pluvia irroratur,  
solum atmosphaeram, medium nutritionis agnoscit. Sed ip-  
sae quoque plantarum nonnullarum partes id demonstrare  
videntur, comparatione habita partium in terra, et in aëre  
existentium.

Ast ipsum processum vitalem vegetabilium scrutinio  
subjiciendo evidentior redditur influxus atmosphaerae in vi-  
tam vegetabilium. Obtinens processus in vegetilibus est  
Hydrogenatio seu decompositio aquae in hydrogenium  
et oxygenium, hydrogenium in planta, oxygenium ipsi at-  
mosphaerae redditur. Reciprocum igitur est commercium at-  
mosphaerae et vegetabilium in hocce processu, et quidem.

Ut aqua in planta decomponatur, lux est summe ne-

cessitatis, haec enim est hunc processum efficiens, lucem vero atmosphaera suppeditans, hujusque vicissitudines ipsam lucem sequi oportet, ab hac igitur dependet lucis in vegetabilia actio, ab actione vero lucis vita vegetabilium, unde sat magnus licet mediatus atmosphaerae influxus in vegetabilia.

Necessitas alia inter atmosphaeram et vegetabilia obtinens, est restauratio oxygenii atmosphaerae per vegetabilia. Sed et calor, sine quo nulla vita per atmosphaeram plantae devehitur, nec non electricitas, horum quoque influxus in vegetabilia varia ratione per atmosphaeram modificatur.

Ulterius considerando vegetabilia scimus plantas assimilate. praecipuum autem assimilationis adminiculum est respiratio ideo, non immerito licet organon respirationis non undequaque demonstratum, neque modus, respirationem supponere oporteret.

Observamus praeterea licet minima irritationis (motus) phoenomena, aliqua (in quibusdam Mimosarum) sed haec cum respiratione incedunt.

Ultimum tandem plantas exspirare oxygenium et gaz acidum carbonicum quare non inspirarent?

Plantas sub aqua vegetantes, in quantum cum aere atmosphaericо commercium fovent, sufficiat adduxisse aqua quoque aerem atmosphaericum inesse.

Commerciū atmosphaerae in universum regnum vegetabile eo adhuc confirmatur, faecundationē plantarum plurimū atmosphaera adjuvari, sic monopetala in polypetas mutando, steriles fructificando, colores, odores, sapores multiplicando, sicque varietatem plantarum mirum in modum augendo.

Ultimum tandem commercio illo oeconomia vegetabilis, et illud lucratur, semina plantarum mediante atmosphaera ad dissitas saepe regiones devehi, et taliter steriles regiones plautis amoénissimis inseminari.

Omnia igitur haec considerando quis non cernit multiplex hoc commercium inter vegetabilia et aërem atmosphaericum.

### §. VIII.

Relatio intercedens animalia inter, et atmosphaeram summi est minimenti, tamque multifaria; ut uno obtutui vix sisti possit; qua de causa prius salutarem atmosphaerae invitam animalem, posteriorius noxiūm influxum sistere oportet.

Animal vivum tam necessarium sovet cum atmosphaera commercium; ut sine hac existere nequeat. Est igitur atmosphaera necessaria animali vivo processui illi Dynamico vitali sustentando, quem respirationem vocamus. Fit per eum decompositio atmosphaerae in organis huic processui dicatis ita, ut oxygenium atmosphaerae humori nutritio animalis accedat, et huic loco redderet animal in atmosphaeram gaz acidum carbonicum et aquam. Omnibus autem animalibus a rudiimento regni animalis (infusorio) incipiendo processus ille ita necessarius per eumque solum vita obtinens, diverso perficitur modo.

Animalia terrestria immediate aërem atmosphaericum respirant, diversum tamen est huic functioni inserviens organon. Animalia vesiculam solum referentes cuti respirant, perfectiora stigmatibus, progrediēte perfectione tracheis, in perfectioribus branchiis, in perfectissimis pulmonibus.

Aquatica aërem atmosphaericum medio aquae adlatum respirant. Multa animalia non semper eodem respirationis organo gaudent, sic gyrini ranarum primo branchiis, ut pisces, corpore tamen perfecte evoluto pulmonibus; sic animalia vivipara in statu foetali per placentam. Sed non solum organis respiratoryis verum cuti universa, imo et tubo intestinali animalia certa modificatione respirant.

Processu hoc vitalisatur humor nutricius animalis vivi, sic animalium rubro sangvine praeditorum sangvis venosus

(minus laete ruber) per processum respirationis vertitur in laete rubrum, seu oxydatur, sicque ad omnes vitales functiones aptus, ergo ad continuandam vitam idoneus redditur. Hie est salutaris atmosphaerae in organismum vivum influxus.

Ut aér atmosphaericus salutarem hunc in corpora animalia viya exerat influxum necesse est eum superius descriptis qualitatibus proprietatibusque instructum, esse, nec aliter vitalitas humoris nutritii animalium vivorum consequi poterit. Innumeris autem patet aér atmosphaericus vicissitudinibus, quibus locum habentibus pro varia eorum modificatione eas ipsas experiri organismus animalis viyus in aperto est. Haec autem vicissitudines exindeque fluentes noxi effectus licet in omnia terrae animalia redundant ratione et officii mei consentaneum, ut quam maxime hominis respectus habeatur. Homo illud punctum creationis naturae terrestralis supremum, omnes inferiores productiones in se recludens artificiosissimum ens est, minimis etiam influxibus et mechanice et dynanice mutandum, et facillime, ut quaecunque machina composita destruendum. Dedit attamen natura organon peculiare, perfectionis et culturae vix determinatis limitibus pollentis, quo functiones mentales exercentur, quibus artificiale debilemque suum organismum contra omnes insalubres influxus, causas, aut effugiendo: aut quibus mutandis par est, mutandas, aut earum effectum locum habentem annihilando, tueri, organismumque suum conservare poterit. Causa innumerorum noxiorumque effectuum organismum humanum afficientium est aér atmosphaericus.

Eudiometricae investigationes licet aequalem aëris atmosphaerici partes constitutivas respicientem proportionem invenerint\*), a qua sola dependet aëris atmosphaerici in or-

\*) Oxygeninm purum nimis oxydando cito consumit vitam azo- um purum irrespirabile, hinc debita solum proportione apta.

ganisimum vivum salutari effectus, nihilominus proportionem turbari posse raritas et densitas aëris atmosphaericæ, nec non venti demonstrant, quibus obvenientibus quantitatē oxy- genii majorēm, jam minorem organis respiratoriis adferri, ex inde pendentes effectus, jam in exaltatione processus vitalis in morbis dynamicis, inflammatoriis, jam in opposita ratione consistentes, nempe adynamicos asthenicos inse- qui primum est.

Non parvam mutationem processus vitalis medio atmo- sphaerae indicant Calor, Lux, Electricitas, hæc materies (vires) sine quibus nulla vita oriri, nulla continuari, nullus processus sive chimicus sive dynamicus sustineri potest, pro vehiculo actionum (influxuum) aërem atmosphaericum habentes, pro ratione tensionum, oscillationumque suarum ipsum aërem mutant, organismusque vivus mutatim una cum his insugere lege necessitatis cogitur. Observamus vero miros harum materialium effectus, an hi in internis animalis vivi contingere non poterunt? Experientia proh dolor sat tristi toties jam edocti multarum epidemiarum, mutatorumque characterum multorum morborum non alio fundamento, quam huic inniti, organismusque humanus eorum actioni lege necessitatis expositus eo majorem effectum experitur, cum junctim hæc materies medio atmosphaerae agant, licet iis mutandis aut effugiendis impos sit.

Observatum hoc ab antiquis uti et recentioribus natu- rae scrutatoribus, ubi assererent. Tempore epidemiarum, aut characterum morborum mutatorum cosmici influxus maxi- miam sibi tenere partem, jam vero in natura terrestri, quam quoisque licet intimius noscimus, nullas observamus alias materias, quibus peculiares hi influxus noxii adscribi possint, praeter caloris, lucis et electricitatis influxus.

Praeter materias has diversi alii aëres salubres in organisimum vivum effectus varie pervertunt, adeo, ut non parvae solum noxae, verum et ipsa mors loco vitae ex aëro

atmosphaerico spiretur. Tales vero aëres plures sunt, communissime gaz acidum carbonicum, sed et azoum plus tamen hydrogenium cum suis conjunctionibus, sic hydrogenium, carbonatum, sulfuratum, ammoniatum, phosphoratum. Omnes hi aëres ad respirationem tam parum sunt apti, ut paucis inspirationibus oeconomia organismi vivi ita turbetur, ut vita continuari nequeat, verum brevi exstingvatur; igitur pro ratione quantitatis horum aërum in atmosphaera praesentium jam major jam minor pendet noxius in organismum vivum atmosphaerae effectus. Respirationem impediendo, hinc vitalisationem sangvinis retinendo, pro gradu actionis aut mortem, aut varios cachexiarum morbos in minori elaboratione sangvinis fundatos ejusmodi impregnata atmosphaera adfert. Quam periculis plena quis non novit receptacula fermentantis musti, quis non carbonum gliscentium, aut combustion corporum clavis cubilibus vaporibus oneratorum, vegetabilium in umbra locatorum esuvia, antrorum, speluncarum, profundorum puteorum antiquorum et derelictorum.

Atmosphaera per humorem seu aquam saepe male organismum humanum afficit, sic nebulosam certe omnis qui poterit effugiet atmosphaeram, habita simul ratione caloris et electricitatis peculiarem certe sibi exposcit considerationem, notum enim est scorbutum, febrem putridam, pestem occidentalem praeprimis atmosphaerae humidae, et simul calidæ cum negativa electricitate incedente adscribi, sic stases, congestiones, circuitus sangvinis langvor. Aer frigidus, et humidus quantum in vitam animalem influat, incolae Regionum frigidarum, maritimaruinque tam relate ad corpus, quam ad functiones animales comparatione instituta cum hominibus in regionibus siccis mediae temperaturae docent.

Pressionem atmosphaerae turbatam (vix sensili modo percipiendam) organismum vivum male affici vel ex obser-

vatis aeronautarum probatur, imminuta enim pressione columnae aëreae pressioni fluidorum organismi humani minor ab extus opponitur resistentia, hinc turgor, rubor faciei, imo profusiones sanguinis primo teneriorum partium, nasum, aurium, conjunctivae oculorum, tandem et firmiorum, uti pulmonum. Sed non solum in altioribus atmosphaerae stratis, verum jam et in Europæ montibus sat male praesertim teneriores afficiuntur, ut id testantur itineratores ad montem Mont-Blanc vix ad medietatem illius ita dictos Gleitschier pervenientes.

Medio processus respirationis animalium viventium consumitur aëris atmosphaerici pars vivificans némpe oxygenium, et huius loco vapor aqueus, gaz acidum carbonicum, hydrogenum carbonatum, ammoniatum, et materia animalis (mucus) redditur. Cuilibet clarum fit, has materias pro longiore tempore, et majori copia animalium, hominumque augeri, et imminui oxygenium atmosphaerae praesertim debita renovatione atmosphaerae neglecta, hinc pericula castrorum, urbiuum oppugnatarum, nosocomiorum, carcerum, theatrorum, chorearum, scalarum, praesertim flagrantibus multis candelis si ratio renovationis aëris non habetur in vitam animalem sat magna; sic notum est ex Zimmerman fatalis carcer Bengaliae. Similibus enim in circumstantiis typhum contagiosum facile oriri exemplis sat abunde comprobatur.

Magis nocivus in similibus circumstantiis redditur aëris atmosphaericus per animalium et hominum morbidorum effluvia, morbis in morbosa vegetatione (foecunda matre productionum morbosarum) consistentibus, quorum productum morbosum atmosphaerae communicatum medio hac sa- nis communicatur, sic oritur typhus nosocomialis \*).

\*). Celeb. Burgmann vulgavit se aërem nosocomialem typhum tractando aqua calcis, plumbo acetico, atque aqua destil-

Corpora tam animalia, quam vegetabilia mortua et fermentationem transeuntia sumine letiferam reddunt atmosphaeram, consumendo enim oxygenium et gaz mephiticum evolvendo, azoum, ammonium, hydrogenium carbonatum, sulfuratum, phosphoratum, haec substantias adhuc organicas in atmosphaeram secum rapiendo quarum in atmosphaera fermentatio continuat, tristissimos advehunt morbos, sic refert Forestus per fermentationem animalis praegrandis marini in litore Belgico febrim ea malignitate notatam evolutam, ut ipsi pesti aequipararentur, quae maximam incolarum partem extinxit. Caemeteriorum, cryptarum aërem pestiferum Guyton, Moreau refert. Mead vero refert et quidem recte pestem orientalem ex inmunditia et negligentia orientalium populorum oriens.

Stagnorum, paludumque atmosphaera omnia, quae de mephiticis adduximus juncta habet, ideo Publici maximum attentionem experta. Hac de causa Clemens XI. Papa per archiatrum suum Lancisium persvasus magnam partem suarum Ditionum paludes partim siccando, partim derivando a multis endemicis morbis liberavit. Sic Empedocles Salertinos. Sic auspiciis Josephi II Banatus magna ex parte salubrior redditus, Profecto et interest omnem adhibere, ubi fieri licet operam ad emendandam insalubrem talem atmosphaeram. Minori tamen iu gradu coelum frigidum reliquis paribus insalubritate atmosphaerae stagnorum pollet, nam fermentatio minor, putredinem minorem generat, nihilominus tamen sat diris divexantur morbis incolae ad stagna habitantes; sic in Fiandra, Svecia, rheumatismi pertinacissimi, petechiae, variolae malignae, sic et Patria nostra febrim quartanam petechiale - anthraces, carbunculos, sic Belgium, Longobardia febres intermittentes nervosas putridas experitur.

---

lata, post certum tempus ammonium, et floccos albos obtinuisse; an non haec vehicula contagii?

In coelo calido multo perniciosior adhuc redditur stagnorum atmosphaera per fermentationem putridam longe latenter dispersam animalium, ovulorum, plantarum. Sic Italia, Aegyptus, Littora maris Caspii, atrocibus satis divexantur morbis.

Nec non considerationem meretur implantatio et mace ratio nonnularum vegetabilium, sic implantatio oryzae, indigoferae, et Sacchari officinalis, unde in Italia ad mediae harae distantiam a locis incolatis oryzam seminare lege sancitum est. Saccharum officinale primas Hispanicas colonias in America extinxit. Hollandia plantatione indigoserae in Surinamia abstinere debuerunt. Urbs Constantinopolitana ab advecto lino et cannabi maceratis et adhuc fermentantibus e Cairo malignis saepe epidemiis divexatur;

Tandem vapores generatorum, et narcoticorum corporum, nec non acidorum concentratorum, non minus lethalem efficiunt atmosphaeram, ut ex actione horum venenosorum abunde patet.

Ultimum pulveres, ferrum, sulfur, animalcula microscopica \*), oacula, parva solum quantitate continentur, vix aliqua ratione sanitatem adficiunt. Ast si majori praesertim pulveres adducuntur copia, et mechanice non solum organismum ledunt, verum et ipsam procurant mortem, ut hoc sequenti §. distinctius patebit.

#### §. IX.

Fluxus atmosphaerae validiores, ventos appellamus oriuntur hie turbata stratorum atmosphaerae mutua relatione, per tensionem, oscilacionesque lucis, caloris, electricitatis producta. Maximam sibi ad generationem ventorum partem vindicare videtur calor, calor enim aerem expandens,

\* ) Diversae de his sunt sententiae: aliqui oxygenium e meris his constare asserunt.

frigus contrahens strata aërea turbando, motus aëris oritur. Illud abunde probatur per ventos regulares, et quidem Solani, qui oritur in regionibus tropicis (calidis) ibique constans est, calore enim ibi praedominante fluxus atmosphaerae a polaribus regionibus tamquam frigidis ut e Physica patet in materiali fluido versus calidorem insequi debet. Constans hic Solanus pro boreali vel australi latitudine jam septemtrionem jam meridiem versus flat in medio tamen ad aequatorem se elidunt, et nullus est vendus.

Praeter Solanum sunt adhuc alii, qui certo anni tempore flant, et ideo sunt regulares; anniversarii, hyeme a continente versus oceanum flantes, aestate contrarie; hi tamen mutantur per terrae conversionem ita, si sol septemtrionem versus vergat, tunc australis, si versus austrum tunc borealis regnat.

Sunt adhuc alii venti Diurni pro yaria conversione terrae circa axim variantes, cum tractu aeris e mari interdiu in continentem Marini, noctu a continente in mare flantes Terrestres sunt, Hyeme terrestres, aestate marini prævalentes, e rationibus jam superius adlati notum est.

Praeter adductos ventos sunt adhuc irragulares venti a supradictis oscillationibus pendentes, praeterea nubes, nives, pluviae, evaporationes, terraemotus, electricae et vulcanicae explosions, solum, silvae; et montes in his generandis magnam efficaciam habent, celeritas horum saepe tam magna est, ut intra minutum secundum centum etiam pedes emetiantur.

Vehementiores hujusmodi atmosphaerae fluxus saepe numero non sine gravioribus periculis in homines et in animalia redundantibus incedunt. Pericula haec partim ab ipso motu aëris, admixtis partim, partim a calore pendentiales fluxus sunt.

Apud nos Turbo, vastissimas dejiciens arbores, et tecta, homines levans, ad magnam distantiam portans.

Bora (Bubas del ayere similis) in Italia septemtrionali pluries per annum (nonnunquam omni mense) una aut duabus flat diebus, frigidissimus, homini infensus, diversos morbos producens, rheumatismos, inflammationem viscerum, sputa cruenta, dolores colicos diarrhoeas.

Samum vel Samiel ventus fervidissimus in desertis Africæ planis arenosis oritur, subtilissimam siliceam arenam vehens, adeo fervidam, ut ignea fere appareat; homines aut animalia hunc aërem respirantes subito mortua corrunt. Testimoniis peregrinatorum edocemur electricis nonnunquam stipari eum phœnomenis, Regio illa, unde flat, flava et aurata apparet, hinc homines et animalia illud observantes sibi consulendi nanciscuntur tempus, homines velato tegmine madido capite, animalia caput intra crura recondentia pérículum effugiunt (ultra medium horam vix flat).

Hic ventus deposita arena usque littora Europæ veniens in Italia et Sicilia saeviens Sirocco appellatur, est calidus, hominemque adgrediens in summam conjicit debilitatem cum vomitu et céphalaea.

Vento Samum non absimilis est Chamisim in Aegypto a nominato solum gradu differens.

Harriattian in occidentalibus Africæ oris ad Sene-gal per desertum Sahara arenam rapiens ortus iam calidus jam frigidus est, semper tamen humidus, hominem diversis vexat morbis, oculorum, faucium, pulmonum affectiōnibus, excitat febres typhosas, cholerae.

### §. X.

Tanta oxygenii in natura consumptio jugiter tamen ex atmosphaera per tot saeculorum series suppeditata, tantum abest quod imminuat ut mira potius ratione eadem perinde quantitas oxygenii modo, ut initio creationis in atmosphaera praesens sit. Consumptio oxygenii restituitur qui-

dein hyeme per nives per vegetationem plantarum de aestate; vix attamen credibile est tantam quantitatem oxygénii; ut per totum régnum animale, tot ustrinarum, alterius usque cuiuscunque ignis, tot organicorum corporum fermentatione consumitur per adlatos superius fontes, restitu posse, considerando et eo, omnes hos processus multo majorem mephiticorum reddere aërum quantitatem, patet igitur aliunde adhuc atmosphaerae oxygenium accedere debere. Cum végabilia praesente solum luce oxygenium atmosphaerae coimminicent, neque illud purum, sed hydrogenio junctum, hic videmus ubique consumtionem oxygenii et gáz mephiticorum communicationem. Fontem illum vera agnoscere debeimus, qui consistit in peculiari proprietate aëris atmosphæericí sibi ex aliis etiam substantiis oxygenium producere, quod vix contrarium naturae illius erit, analogia petita ab aliis substantiis sibi certas materias, quas nimis anhelant, producendi, sic acidum sulfuricum concentratum ayidissimae appetit aquam, eamque undecunque sibi generare nititur, hinc ex siccissimis etiam substantiis (eas in elementa sua decomponendo, ex quibus eam sibi parat) aquam gignit. Si igitur tales processus quos multos chemici norunt in nostra tam limitata adhuc scientia observamus quare negaremus processus similes in natura universa ad conseruationem totius necessaria, ubi notum nobis est in natura vigentem revolutionem ita constitutam esse, ut quod uni tribuit, id alteri determinato modo et forma adimit, sed et libenter concedimus, actum enim de salute nostra esset proprietate ea illi denegata, quidem non his faciendum esset cum effluviis substantiarum venenatarum, nàrcoticarum, contagiosarum, \*) et aliarum noc-

\*) Considerando solum contagium rabiei caninae, cuius vehiculum saliva est, quanta copia effluit in terram, quae atmosphaerae, et per eam e. g. oculoque communicata, nullum tamen excitat morbum.

varum substantiarum, si illis solventis atmosphaera impar esset.

Omnibus his perpensis palam est maximam esse atmosphaeram potentiam, maximoque gaudere in universam naturam terrestrem influxu; influxus hic primam sibi relate ad organismum humanum vivum poscit attentionem, nam et vivificans et desorganisans est, aequilibrium igitur tenet inter vitam et mortem, vita vero animalis, vita hominis licet rationabile sibi vindicet Regnum, in hoc influxu quam parum activa esse possit, nulli non notum est, passive magis se habere coacta et modo, sed certe et infuturum, aeternae naturae, creationisque legi semper paritura.